Rde in Chro P.

P. C.

Quis ante annum ad pontem Miluium, ubi ualedixi R.V.ae, mihi dixisset, Europâ non me egressurum nisi in Maio currente huius anni? mirae humanarum rerum uarietates tandem me ad ultimos Semgallos excurrere coegerunt et inde redire Viennam: Semgallia uel potius Semgallen Linguâ Curlandicâ, Terrae finis Latinis est, Per illud scilicet terrae limitem et finem in Moscouiam penetrare cum cogitarem et iam felici cursu pergerem ecce redire cogor ob causam quam minime mihi imaginabar nempe ob Polonorum excursiones intra Moscouiam; hi enim cum rapto uiuant, utpote liberi, sine regio stipendio, et fere ad 20000 numerum se extendant; nec patentes Regias curant nec ulli obuio parcunt.

Ecce ergo venerande Pater cum ex Indijs iam salutare potuissem R.V.am, ei Viennâ ultimum Valedico discessurus propediem cum Legato Caesareo Constantinopolin uersus.

Quod maxime in hoc meo itinere Liuoniam uersus mirabar fuit, inter Borealia frigora et productas noctes florere ubique nomen R.V.ae, ubicunque enim me et socios Jesuitas esse resciebant primum circa R.V. nobis interrogationem mouebant, an nimirum et quomodo R.V.a ualeat, addebant laudes quas scio ingratas quidem R.V.ae, mihi tamen singulari solatio erant ob tantam Dei gloriam et Societ. nostrae commendationem quam inter uarias nationes etiam acatholicas Doctrina R.V.ae adeo mire promouet et in omnes etiam indignos R.V.ae fratres meos similes deriuat. Optimus Deus R.V.am conseruet pluribus annis incolumem, et non ferat egre se ab isto uagabundo inutili terrae pondere in suis studijs interturbatam. Vale igitur decus Societatis nostrae, tuique Henrici indignissimi memor ei identidem precare bene, exuli et peregrino super terram, donec nos Deus in optima patria coniungat. Vale uiue in aeuum.

Viennae 16 Maij 1665

Salutat et Indice ueneratur R.V.am
Josephus Indus et Matthaeus China.

R.V.ae seruus in Chro
Henricus Roth SJ

Rdo Patri in Xto P.
Athanasio Kircher Soctis
Jesu

Romam